Fragmentarium

misit. ex qua expellit quicumque vult. Et tanta stul
titia mortalium est. ut quae minima et vilissima sunt.
certe reparabilia imputari sibi cum impetravere
patiantur. Nemo se iudicet quicquam debere qui
tempus accepit. cum interim hoc unum est quod ne gratus
quidem potest reddere. Interrogabis fortasse.
quid ego faciam qui tibi ista praecipio. Fatebor inge
nue. quod apud luxuriosum sed diligentem evenit.
Ratio mihi constat impensae. Non possum dicere.
nihil perdere. Sed quid perdam et quare. et quem
admodum dicam. causas paupertatis meae reddam.
Sed evenit mihi quod plerisque non suo vitio ad inopiam
redactis. omnes ignoscunt. nemo succurrit.
Quid ergo est. non puto pauperem. cui quantulum
cumque superest sat est. Tu tamen malo serves tua et
bono tempore incipies. Nam ut visum est maioribus
nostris. sera parsimonia in fundo est. Non
enim tantum minimum in imo sed pessimum remanet.

ITEM ALIA EIUSDEM

Ex his quae mihi scribis et ex his quae audio bonam spem de
te concipio. Non discurris nec locorum
mutationibus inquietaris. Aegroti ani
mi ista iactatio est. Primum argumen
tum compositae mentis existimo posse consi
stere et secum morari. Illud autem vide ne ista
lectio auctorum multorum et omnis generis volu
minum habeat aliquid vagum et instabile.
Certis ingeniis immorari et innutriri oportet.
si velis aliquid trahere quod in animo
fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.29, 7r – Priscianus, Institutiones grammaticae; Vita Prisciani; Seneca, Epistulae ad Lucilium (https://fragmentarium.ms/view/page/F-xy8o/5303/50387)